

Hic enim Potentia patris est appellatus. Qui vero intellectus nominatur, Intellectui secundo, et principio, tertio correspondet. De qua triade, Damascius protulit: Κατὰ τὴν χαλδαϊκήν ὑμνουμένην τριάδα secundum Chaldaicam celebrem triadē. Videlicet est unaqueque trium triadū distributa. Non est autem facile assequi. (Incomprehensibilia enim sunt Dei, iudicia et investigabiles viæ eius, et ineffabiles) quo modo et tribus his principiis, novenarius mentium numerus sit ortus. Nos tamen id ita accipimus, ut Mens opifex, Patri quidem respondentem, summa excellentia primam triadē in primo ordine procrearit. In quo patrum ordo supremus, patri quantum posset, similis esset. Ordo secundus potentiarum, similis esset, quantum liceret, ipsi filio. Tertius vero qui est appellatus Mentium, sibi tertio principio, ac secundæ menti esset assimilis. Eodem modo, in secunda triade quæ filio responderet; supremæ patres appellati, essent quantum fieri posset, Patri primo, ac patribus primæ triadis assimiles. Potentiæ itidem quantum possibile esset, filio, et potentiis primæ assimilarentur. Tertiæ vero quæ Mentes dictæ sunt, sibi Menti, et mentibus, primæ similes prout possent, essent.

In tertia similiter triade, sibi menti respondente, essent patres, patri primo, et patribus duorum ordinum: et potentia filio, et potentiis, et Mentes sibi, et mentibus suis essent assimiles. Possunt alio quoque modo triades hæ distribui: ut prima scilicet tota, Patri; secunda tota Filio; tertia tota Spiritui conditori essent propriæ. Sed et utroque modo possunt accommodari, sine ulla divinitatis labe. Imo maxima cum eius gloria, et potentia supremæ argumento. Quam potentiam adauget, quot est iam ostensum, in singula harum triade, mentium infinitum esse numerum. Cur enim ab infinitis essentiis, et infinitis potentiis, infinitæ etiam operationes non prodierunt? Et ab infinitis actionibus, non entiam infiniti effectus non sunt effecti? Cur item ab infinita bonitate, infinita bona extra eam non sunt progressa? Quid enim opus habuit, ea in se continere et retinere? Cum bonitatis proprium munus sit, se se omnibus communicare. Et si omnibus, finitis se se communicat, cur non etiam infinitis omnibus? Cum nulla ei obstet vel impotentia sui, vel entium, aut par, aut maior potentia? Non igitur non potuit, ultra finita, se se in infinita effundere. Neque ulla eam retinuit invidia, per quam potius finita, quam infinita producere voluerit. Cur enim invidit iis quæ supra finita esse poterant, ut non essent? Infinitæ ergo non quidem essentiis, et potentiis, et actionibus (nec suis conditoribus, aut pares, aut eadem essent), sed infinite quadam, a summa illa conditorum degenere, numeri nimirum, et multitudinis. Cui rei, multa possent ex sacris literis afferri testimonia, quale illud. Multa nimis sunt casta eius.

Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Sed quid illud est, quod intulimus, choros hosce mentium ab opifice mente, extra se, et circa se fuisse creatos, cum Apostolus scribat de Verbo filio.
“Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa, in cœlis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.”

Quæstio hæc in propriam frequentem referatur tractationem.

FINIS DECIMIOCTAVI LIBRI.